



3  
3  
c)

O R A T I O

DE INSTA VRA-  
T I O N E S T V D I I T H E O-  
L O G I C I , I N A C A D E M I A V V I T E-  
b e r g e n s i , a d e a m p u r i t a t e m D o c t r i n æ c œ l e s t i s ,  
i n q u a , v i u e n t e D L u t h e r o , D o c t o r e s  
S a c r a r u m L i t e r a r u m p i e c o n-  
s e n s e r u n t ,

*Recitata VVitebergæ 25. Aprilis  
Anno 1577.*

*Per*

I A C O B V M A N D R E A E . D .



V V I T E B E R G A E

E X C V D E B A T I O H A N-  
N E S C R A T O ,

A N N O M . D . L X X V I I .



AD ILLVSTRISSIMVM  
DVCEM SAXONIAE ELECTO-  
rem &c. Ecclesiae nutricium, Dn. suum  
clementissimum.

**P**lurima sunt in nos diuini signa fauoris,  
Maxima sed bonitas illius inde patet:  
Restituit puri quod caelica dogmata verbi,  
Et caecum clara luce retexit iter,  
Vfus ad hoc magni scriptis & voce LVTHERI,  
Cui sacro incensum Flamine pectus erat.  
Huius conueniens sanctis doctrina Prophetis  
Quorundam insidijs cum viciata foret:  
Dux modo Saxonia lucem reparare priorem  
Nititur, vt vero dogmate pura sonet,  
Felix Saxonia Dux Illustrissime Princeps  
AVGVSTE, Imperij fida columna sacri.  
Cui pia consensu cura est concordia dulci,  
Vnica quem Christi gloria vera mouet:  
Quiq; pater patriae curas moderamina rerum,  
Et Vitebergiacae commoda grata scholae.  
Longatue CHRISTVS producat tempora vitae,  
Et sceptro tribuat prospera cuncta tuo.  
Vt benè praesidijs Ecclesia sancta fruatur,  
Resq; suo maneat publica salua statu.  
Hoc agnosce Dei munus studiosa iuuentus,  
Et fundas imo pectore vota DEO.  
Sanctaq; diuini discas oracula verbi,  
Vt Christi cuncto tempore crescat honor.  
Grata DEO est pietas, homini tutissima virtus,  
Promissa aeternae certa salutis habet.  
Viue Deo, nam dira DEO sine viuere mors est,  
Si verè cupias viuere, viuere DEO.

M. Martinus Henricus.





# RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS AN-

DREAS VVOLFGANGVS BARO

A POLHAIM &c.

**I**mmensa quidem & innumerabilia sunt Dei erga genus humanum beneficia, tam spiritualia quam corporalia: Sed omnibus hoc antecellit, quòd admirandum decretum de reconciliatione. & reparatione hominum per mortem unigeniti filij sui primis Parentibus lapsis in peccatum & eternam damnationem patefecit, & promissionem de Mediatore monumentis Prophetarum & Apostolorum comprehendendi, illustrari, & testimonijs miraculorum confirmari voluit: quæ aduersus diaboli & mundi furores, etiam collisis & ruentibus imperijs mirabiliter ac potenter conseruauit, & hanc doctrinam de filio Dei in toto terrarum orbe non solum apud Iudeos, sed etiam apud Ethnicos propagauit. Atq; in primis quòd ministerium Euangelicum pene collapsum subinde instaurauit, & doctrinam veram ac salutarem repurgauit, diuinitus excitatis doctoribus, ut nativam & incorruptam verbi diuini sententiam Ecclesiæ proponant. Sicut meritò ingens & ineffabile Dei beneficium agnoscamus, & grati celebremus necesse est, quòd his ultimis mundi temporibus lucem verbi sui accensam singulari misericordia in Academia oriri, & ad alias nationes transmitti ac propagari voluit, & quòd nos ereptos ex potestate tenebrarum ( ut cum D. Apostolo loquamur, ) transtulit in regnum lucis Filij sui, per quem habemus delictorum condonationem, accessum ad Deum, & vitæ eterne hereditatem. Hoc donum Dei excellentissimum cum Illust. Princ. ac D. D. AVGVSTVS Dux Saxonie, Elector. &c. Dominus noster clementissimus, summa cura  
A 2 & studio,



& studio, pro ratione officij sibi diuinitus commendati  
conseruari cupiat: Huc misit reuerendum & clarissimum  
virum D. D. IACOBVM ANDREAE, vt studi-  
um sacrarum literarum post miserrimam & tristissimam  
superioribus annis factam mutationem instauretur, & ad  
eam puritatem doctrine, quae viuente Reuerendo & in-  
comparabili viro D. D. MARTINO LUTHERO  
& reliquis, quos secum habuit fidelissimos collegas & ne-  
cessarios, publice in ea sonuit, Deo iuuante reducatur. Is  
cum hodie hora 9. de quibusdam rebus ex mandato Illu-  
strissimi Principis ac D. D. AVGVSTI Ducis Saxoniae,  
Elect. Domini nostri clementissimi, publice commonefa-  
cturus sit iuuentutem: Hortamur vniuersos & singu-  
los, vt in audiendo debitam praestent attentionem, & in  
gestibus modestiam eam, quae decet studiosos, qui in litera-  
rum disciplina & pietatis exercitijs versantur, ac singula-  
re Dei beneficium agnoscant, quod inclytum & Heroicum  
Illustrissimi Electoris animum excitat ad fouendam, tuen-  
dam, ornandam, & amplificandam hanc Academiam.  
Grati igitur hoc beneficium Dei celebremus, de quo in Psal-  
mo 102. dicitur, Congregari populos in vnum, &  
regna vt seruiant Domino. P. P. VII. Ca-  
lend. Maij M. D. LXXVII.

ORATIO



DE INSTAVRATIONE  
STVDII THEOLOGICI  
in Academia Vuitebergensi,



Vis dabit capiti meo aquam ? & oculis meis fontem lachrymarum ? & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei, inquit Ieremias Propheta, calamitatem tristissimam in Spiritu praeuidens, vniuerso Regno Iudae superuenturam, quam in expugnatione & euerfione vrbs Hierosolymorum longè miserrimam Iudaei experti sunt : & ingritudinis, pro vero Dei cultu neglecto, per Prophetas reuelato, Idolatriae & impietatis suae iustissimas poenas dederunt.

Quàm verò non iniquè eandem querelam nobis quoque repetere, & per Spiritum Dei in simile vocè erumpere licebit. Quis nostris quoque capitis dabit aquam, & oculis nostris fontem lachrymarum ? vt die & nocte fortunam & interitum deploremus eorum, qui partim à simplicitate Doctrinae coelestis declinantes & in horrendos errores seducti, sibi & Ecclesiae perierunt : partim verò dissensionibus intestinis miserrimè offensi, cum veritatis amorem constanter retinerent, quo tamen sese in tanta varietate opinio-

*Querela  
propter  
dissipationem  
Ecclesiarum &  
Scholarum*



num conuertent, non viderunt.

Qui dolor, quem ex tanto, tamq̄ diuturno offendiculo cepimus, eò acerbior in nobis iure esse debet, quò magis apud animos nostros paulò altius, vt reliquos omnes nunc taceam, Inclytæ & celeberrimæ Academiæ huius, qualis ante annos triginta fuit, Ordinem et statum repetentes, aliqua cum cura & diligentia consideraerimus.

*Ordo & status Scholæ & Ecclesiæ ante annos 60.*

Quis enim est, qui ignoret, ante annos sexaginta, cum doctrina Ecclesiæ tristissimis tenebris humanarum traditionum obscurata, & prope modum extincta esset, per singulare Dei organum D. Lutherum in hac vrbe renatam & de nouo accensam lucem, quæ radios suos in vniuersum terrarum orbem emisit: Cui Deus pro singulari sua bonitate, raris & præstantissimis donis, & præclara eruditione ornatum virum clarissimum Philippum Melanthonem, socium laborum adiunxit, qui pios & sanctos conatus ipsius iuuaret.

*Chorus clarissimorum virorum uiuente Luthero Vitebergæ.*

Cum autem vtriq̄ non tam pro salute domesticorum, quos in vrbe & schola recens constituta habebant, laborandum, quàm contra extraneos hostes, sine vlla intermissione pugnandum esset: Alios quoq̄ viros clarissimos præstantissimosq̄, pietate & excellenti doctrina instructos,

D. D.



D. D. Iohannem Bugenhagium Pomeranum,  
 scripturæ sacrae interpretem egregium. D. D.  
 Iustum Ionam, virum eloquentissimum. D. D.  
 Casparum Crucigerum, summa ingenij, doctri-  
 nae & pietatis laude commendatum, eis adscri-  
 psit. Qui simul omnes magna animi vi & con-  
 tentione vnanimiter eò laborarunt, vt Ecclesia  
 passim ab omnibus perniciosis humanis traditio-  
 nibus, superstitionibus, idolatru liberata, verus  
 Dei cultus, & salutaris agnitio Filij Dei Domini  
 nostri Iesu Christi, & mentorum eius, instaura-  
 retur.

Quàm venerandus hic præstantissimorum  
 virorum chorus fuerit, quis oratione explica-  
 bit? Inter quos D. Lutherus, propter Spiritum  
 Heroicum, quo indutus erat ex alto, tanquam  
 Sol eminebat, quem reliqui omnes tanquam pa-  
 trem & præceptorem summa reuerentia & qui-  
 dem merito, colebant. Quos vicissim Luthe-  
 rus, cum à superbia & φιλαυτία alienissimus es-  
 set, non ficto, sed vero humilitatis spiritu singu-  
 los, pro ratione donorum, quibus à Deo or-  
 nati fuerant, ita honorabat, vt sese omnium ipso-  
 rum seruum constitueret, sua quantumuis ma-  
 xima extenuaret, illorum verò sanctos labores  
 studiosæ iuuentuti adeoq; vniuersæ Ecclesiæ Dei  
 sollicitè commendaret.

D. Luthera-  
 ri cum cla-  
 rissimis vi-  
 ris, pius &  
 sanctus  
 consensus.

Ego



Ego sanè de me ingenuè feteor, cum mihi con-  
tingere non posset, quod maximo animi deside-  
rio ante annos 36. expetiueram, vt coràm videre  
& audire tanta lumina liceret. (Fides enim data  
me in Academia Tubingensi, detinebat, qua V.  
dalrico Duci V. Virtenbergensi stipendiarius,  
studiorum gratia, addictus eram) Imagines vi-  
uas tantorum virorum, arte pictoris solerter ex-  
pressas, & parietibus ordine affixas maxima cum  
animi voluptate sæpè aspiciebam, n̄sc̄q; me ita ob-  
lectabam, & eorundem scripta in manibus cir-  
cumferens, me obambulantem coram illis viuum  
ex ipsorum ore vocem audire existimarem.

Ter igitur quaterq; felices eos, quibus cum  
illis conuersari, eos quotidie videre, pro concione  
& in schola de omnibus partibus doctrinæ Chri-  
stianæ piè sancteq; consentientes, audire datum  
fuit? Ea enim dubio procul pars vitæ æternæ  
suauissima fuit, in hoc seculo inchoata. Quo-  
rum cor vnum, anima vna, idem studium, eadem  
voluntas erat, vt gloria Dei cresceret, Doctri-  
na pietatis sincera & incorrupta propagaretur,  
& quamplurimi ex faucibus infernalis Bestiæ  
eriperentur.

1.  
Consensus  
Doctorum,  
adeoq; vnus  
Lutherus  
Ro. Pont.  
formidabi-  
lis.

Hic coetus vnanimis, paucorum quidem, sed  
præstantissimorum virorum, vniuerso Regno  
pontificio tam formidabilis fuit, vt eum  
plus,



plus, quàm totius mundi arma pertimescerent. Quemadmodum etiam euentus docuit, quòd Sanctissimorum horum virorum labor Rom. Pontifici plus nocuerit, quàm omnium Monarcharum, quantumuis potentissimorum conatus effecerunt, qui tamen vires eius se non parum debilitasse arbitrati sunt.

Hoc enim Anathemate cum feriret Romana Bestia, quod optimi Imperatores gladium Spiritus sancti esse existimabant, quem prius debellarunt, postea eiusdem pedes, cum magno suo dedecore, & æterno suarum suorumq; animarum exitio exosculati sunt.

*Bella Imperatorum contra Rom. Pontificem.*

Hi verò, Spiritus sancti gratia confirmati, præstantissimi Doctores, Anathema Pontifici ex manu, virtute verbi Dei, excutientes, coronam pontificiam cum vniuersa Antichristi Romani potestate piorum pedibus conculcandam exhibuerunt, vt Christo suus honos, Rom. Imperatori suum decus & debita Maiestas, & animabus pijs & conscientijs pijs pax & tranquillitas, quam cum Deo habent, in Christi solius merito, constaret.

*Bellum Lutheri contra Rom. Pont.*

Quos verò ille contra emisit pontificiæ suæ impietatis patronos, & Idolatriæ assertores, viros partim non indoctos, & in pontificia Aula non inexercitados, sed verbi Dei vera

*Rom. Pontificiæ impietatis patroni & defensores.*

B cogniti-



cognitione minimè instructos, ab humana ma-  
 gis authoritate, quàm eius voce pendentes, qui  
 Matth. 17. è cœlo locutus est: Hunc audite: Diuus Luthe-  
 rus, fulmine verbi Dei, quo pectus ipsius, ma-  
 xima cum Spiritus *πληροφορία* confirmatum &  
 instructum erat, ita repressit & prostravit, vt  
 contra eum vnum & solum, vt maximè reli-  
 quorum virorum Doctissimorum corona stis-  
 patus non fuisset, ne hiscere quidem auderent.  
 Cuius laboribus Antichristus Rom. secundum  
 Rom. An- Apostoli prophetiam, sic interfectus est, in cor-  
 tichristus dibus hominum, ad quos scripta Lutheri per-  
 spiritu o- uenerunt, vt maxima ex parte nullos cultores  
 ris Dei oc- & Religionis suæ peruersæ patronos inueniat,  
 cibus. aut habeat, quàm quos vel quæstus, vel digni-  
 tatis, vel voluptatum cupiditas & expectatio  
 detinet, aut qui metu exquisitissimorum suppli-  
 ciorum, & amissionis vitæ, bonorum suorum,  
 veram religionem, in cordibus suis agnitam,  
 profiteri non audent.

II. Idem consensus clarissimorum virorum  
 Consensus cum Luthero, in hæresibus, quas Satan ad re-  
 D. Luthe- morandum cursum Doctrinæ Euangelicæ re-  
 ri & colle- morandæ excitauerat, reprimendis & refutandis vs-  
 garum eius nata excitauerat, reprimendis & refutandis vs-  
 contra Se- niuerso terrarum orbi notus est, cum erga An-  
 ctarios. nabaptistas & similes Spiritus fanaticos, tum ve-  
 rò in primis, contra eos, qui simplicem, planam  
 & per-



& perspicuam Doctrinam de substantia Sacra-  
mentorum noui testamenti, rationis humanæ  
argumentis friuolis perturbarunt. Quod cer-  
tamen Ecclesijs nostris, maius damnum dedit,  
quàm summa papistarum crudelitas, quam in  
membra Christi, multis annis, exercuerunt.  
Hæc enim nota, & ab omnibus bonis execrata  
est abominabilis sæuitia atq; immanitas. Cuius  
nulla exempla in primitiua Ecclesia aut vllis se-  
culis in domo Dei demonstrari possunt. Quas  
propter tantum abest, vt veri & constantes  
Martyres à professione Euangelij deficerent:  
vt potius suo exemplo, quàm plurimos ad a-  
morem & admirationem eius doctrinæ attra-  
herent, cuius causa exquisitissima supplicia pa-  
tienter ferre non recusarunt. Illorum verò error  
cum rationi humanæ, quæ in rebus spiritualibus  
cæca est, gratus sit, non modò specie veritatis a-  
nimos hominum occupat, sed easdem quoque  
non ad dissimilem feritatem excitat, quemad-  
modum exempla nostrorum temporum longè  
tristissima docent.

*Certamen  
de Sacra-  
mentis per-  
niciosum.*

*Papistarum  
crudelitas.*

*Sacramen-  
tariorum  
astutia.*

Prodierunt quoq; ex hac Schola omnium di-  
sciplinarum, artium, ac professionum Doctores  
præstantissimi, qui, hausta in hac Academia pie-  
tatis doctrina, quasi colonias deduxerunt. Par-  
tim, n. in Reipublicæ administratione, sua pie-  
tate, doctrina & authoritate, quamplurimas ci-  
uitates

III.

*Ex Acade-  
mia Witt-  
bergen-  
si  
clarissimæ  
doctissimi  
viri prodi-  
erunt.*



uitates, pro uincias & Regna ad veram religio-  
nem adduxerunt : partim in Ecclesia populum,  
sicut oues errantes, in viam veræ cognitionis  
Christi reduxerunt : partim domesticam Eccle-  
siam, cum neq; ad Reipublicæ administratio-  
nem, neq; ad regendam Ecclesiam necessarijs  
donis instructi essent, in vera pietate rexerunt,  
vel iuuentutempia & sancta institutione, in do-  
ctrina cœlesti imbuerunt, vt à puero fundae-  
mentis verę pietatis iactis, aliorum opera absola-  
uerent, quod ipsis denegatum fuerat.

*Perturba-  
tionem A-  
cademię  
Viteber-  
gensis quę  
mala secu-  
ta.*

Hęc omnia cum consideramus diligenter,  
& ante oculos ponimus, qui fieri posset, nisi for-  
tè & pietatis & salutis publicæ amor atq; desi-  
derium, planè in nobis extinctum esset, quin a-  
cerbissimo dolore concutiatur animus hominis  
pij, si faciem huius laudatissimæ Scholæ intuea-  
tur, qua superioribus annis, peruersi Doctores,  
suis dolis & fraudibus, eam deformare, decus  
& ornamentum ciuitatis huius summum obscu-  
rare sunt conati.

Doctrinam enim non modò irreplisse, sed  
magno studio propagatam esse, quæ cum pio et  
sancto cōsensu honestissimi chori Reuerendissi-  
morum & Clarissimorum virorum Lutheri,  
Philippi, Pomerani, Crucigeri, longè, dum uiue-  
rent, ex diametro pugnat, quam Lutherus & la-  
borum



horum comites vnanimi consensu, tanquam pestem veræ pietatis, vno ore & spiritu, damnarunt, neminem esse arbitror, qui ignoret. Neque enim ego primus sum, qui hoc loquitur, sed publica scripta, superioribus proximis annis auctoritate & iussu Electoris Saxonie Inclyti Herois, in conuentu Torgensi Anno 74. deliberata & hinc edita, testantur, quibus iuuentus de fraudibus & astutia Doctorum monetur, per quos dignitas, honos, existimatio & auctoritas huius loci vehementer læsa & diminuta est.

Qua ratione suauissimus concentus Doctorum & discipulorum non modò miserandum in modum perturbatus & turbæ excitatæ, quæ multis bonis nocuerunt, qui & sibi ipsis & alijs maximè prodesse potuissent: sed aduersarij quoque & hostes doctrinæ cœlestis spem maximam conceperunt, fore, vt crudelitate ipsorum & immanitate quiescente, nos ipsos intestinis odijs conficiamus, Scholas & Ecclesias à maioribus nostris piè constitutas, infelicissimis certaminibus euertamus.

Quos verò in Doctrina, de persona, Testamento, & Maiestate Christi ad dexteram virtutis Dei sedentis, aduersarios habemus, tantum abest, vt Doctores noui sese exemplo patrum maiorumque suorum pio studio ad assertionem veritatis



tatis illis opponerent, quin potius, quibus pos-  
tulerunt artibus eò contenderunt, vt spretis Re-  
uerendissimorum antecessorum suorum san-  
ctis laboribus, in castra hostium sese furtim &  
quasi per cuniculos contulerint. Et quod maxi-  
mè dolendum est, cum alia ratione veritatis as-  
sertores premere non possent, qui iisdem argu-  
mentis, quibus illorum maiores, patres & præ-  
ceptores contra Nouatores, & Sacramento-  
rum Christi prophanatores, & Maiestatis ipsi-  
us Diuinæ irrisores pugnarunt: Iesuitarum (sa-  
tanæ extremū conatum, in pontificia impietate  
asserenda) præsidium & adminicula sui erroris  
quærentes, disputationem ipsorum Ingolstadij  
propositam, non quidem integram sed mutis-  
sam & decurtatam, ne per omnia ipsorum re-  
ligionem profiteri videantur, in hac celeberrima  
vrbe, typis, non sine summo dedecore in-  
clytæ Academiæ, excudi curarunt. Longè ve-  
rò atrocius est, quòd eadem disputatio à Ma-  
gistratu scholastico eiusdem ordinis & opinio-  
nis, qui eo tempore fuerat, studiosæ iuuentu-  
ti commendata fuerit, ex qua formas loquendi  
petat, quibus in explicatione de persona Chris-  
ti uti debeat. Vt interim nihil dicam, Papistis  
aduersarijs nostris causam datam, vt Academi-  
am hanc longè celeberrimam passim in vniuer-  
so Terrarum orbe, quasi ad vomitum & Rom.  
Anti



Antichristi impietatem redire cogitet, infama-  
rent.

Vnde quoque factum est, ut Sacramentorum  
prophanatores non modo clam per literas cum  
illis colluderent, quin potius suis quoque scriptis  
ad hanc Scholam prouocarent, in eaque praesidi-  
um non contemnendum collocarent. Quod  
non modo priuatorum hominum actiones, qui  
fortassis rectius institui potuissent, sed etiam pu-  
blica aduersae partis scripta testantur.

Quam infelix verò, misera & deploranda  
distractio iuuentutis studiosae secuta est? quae  
prius, maiorum suorum exemplum imitata,  
pulcherrimum et suauissimum consensum inter  
se se tuebatur, postea plerique in diuersa studia  
pertracti, seipsum, plus quam Vatiniano odio  
inuicem miserrime & cum maximo studiorum  
suorum detrimento sunt persecuti?

Sed quid dicemus de rebus publicis et Ecclesijs  
infinite, quibus haec malae artes multis annis ig-  
notae fuerunt? Quam misere eas deceptas esse ex-  
istimamus: cum nihil mali suspicantes, ex hac scho-  
la, Testimonijs publicis ornatos, ad gubernan-  
dam Rempublicam, Ecclesiam, aliaque publica of-  
ficia administranda adhibuerunt, qui, (pro na-  
tura, more & consuetudine huius spiritus) cum a-  
liquandiu consensum pietatis simularent inuiti,  
occafia



occasionem, successu temporis, nacti, Respublicas & Ecclesias miserrimè perturbarunt. Exempla commemorarem quàm plurima, nisi intelligerem vos pariter omnes viros clarissimos, non sine gemitu & ingenti dolore illorum meminisse. Hinc, pro gubernatoribus, Rerum publicarum pestes, pro pastoribus fidis, crudeles lupi, pro Medicis corporum, Animarum interfectores, pro pœdagogis pijs, iuventutis pernicies, & coniugalis quoq; Thori sancta & Deo grata concordia perturbata est.

Quæ mala omnia, quid opus est oratione augere? nuda & simplex commemoratio eorum, cui non terrorem incuteret? cuius animum non percelleret & perturbaret, vt in prophetæ vocem denuò erumpamus? Quis dabit capitibus nostris aquam, & oculis nostris fontem lachrymarum, vt deploremus interfectos populi nostri Ecclesiæ, quos diluuij instar, infœlix hoc studium malorum hominum in exitium præcipitavit, vnde sese difficilimè explicare, plures autem secum inuoluere poterunt.

*Perturbatio  
Academice non  
fortuita  
aut inopinata.*

Hæc si inopinata laudatissimæ Academiæ nostræ accidissent damna, varias in animis piorum cogitationes excitare potuissent. Et non ignoti sunt nobis aduersariorum nostrorū clamores: hos fructus esse nouæ doctrinæ, quam sic appellant



lant, Euangelij Lutherani ad quos iam pridem  
callum obduximus.

Quin ipsis præter exempla Prophetarum &  
Apostolorum, quorum tempora horribiles per-  
turbationes in Religione secutæ sunt, & partim  
ipsis viuentibus surrexerunt, qui Apostolicam  
doctrinam, ex Apostolorum ore auditam per-  
uerterunt, Diui Lutheri pectoris Heroici Pro-  
phetias opponimus, cum nulla mutatio in his Re-  
gionibus, Scholis & Ecclesijs acciderit, quam ipse  
non prius in Spiritu viderit, & posteritatem piè,  
sanctè & grauius admonuerit. Verba eius extant  
in defensione simplicis sententiæ verborum Te-  
stamenti Christi. *Ich warne / ich rathe / Hüte  
dich / sihe dich für / Satan ist vnter die Kinder  
Gottes komen.* Moneo inquit, consulo, caue ti-  
bi, prospicias tibi, Satan ad filios Dei accessit.  
Quæ admonitio, si nulla alia extaret, pijs menti-  
bus, ad excutiendum veterum, qui nostra ætate  
plurimorum animos corripuit, sufficeret.

Sed quærat aliquis, qua ratione tã facilè pius &  
firmus consensus, in re tanta perturbari potuerit?  
Nihil dicam de occultis iudicijs Dei, quæ sunt  
Abyssus, & rationi humanæ imperuestigabilia.  
Arte opus erat, qua id tentaretur. Quod tum  
conspicuum erit omnibus, quando accuratè &  
studiosè inquisierimus, quis neruus cõcordiæ fue-

C

rit,

D. Luthe-  
rus Pro-  
pheta.

Luth.  
Das diese  
wort (das  
ist mein  
Leib) noch  
fest stehen.

III.

Qua ratio-  
ne pius cõ-  
sensus Do-  
ctorum &  
discipulorum  
perturbatus.



*Nervus  
consensus  
inter D.  
Lutherū et  
collegas e-  
ius.*

rit, quo tanquam sanctissimo vinculo colligati  
Reuerendissimi & sancti Patres Lutherus, Phi-  
lippus, Pomeranus, Ionas, Cruciger, quos hono-  
ris causa iterum nominatim commemoro, in per-  
petuo & sanctissimo consensu pietatis & Doctri-  
nae, cum de omnibus partibus Doctrinae Chri-  
stianae, tum de Sacramentis imprimis constanter  
perseuerarunt. Quod vno verbo dicere possu-  
mus: Solius scripturae sacrae authoritati & eius  
verbis simplicissimis assentiētes, opinionum vari-  
etatem, quae in Ecclesiasticis scriptoribus sese ma-  
gno numero offerebat, Prophetis & Apostoli-  
cis scriptis tanquam supremo et vnico iudici, nor-  
mae & Regulae veritatis subiecerunt. Patres. n. nō  
tanquam iudices & Magistros fidei habuerunt,  
aut iuuentuti imperitae, hoc nomine, commen-  
darunt, sed cum iudicio legendos, & ad illorum  
lectionem prius non accedendum piē sancte q̄  
monuerunt, quā ex verbo Dei iudicium con-  
firmatum fuerit. Ne varietate opinionum ani-  
mus adhuc indoctae & imperitae Iuuentutis di-  
strahatur.

*Iudicium  
Lutheri de  
scriptis S.  
Patrum &  
concilio-  
rum.*

Idēq̄ non solum de scriptoribus Ecclesiasti-  
cis omnibus et singulis Diui Lutheri iudicium fu-  
it, sed eadem censura etiam conciliorum Decreta  
& Canones omnes notauit, non eorum tantum,  
quorum fides suspecta est, sed etiam Oecumeni-  
corum



corum, quæ summam & propemodum parem  
cum Euangelij authoritatem in Ecclesia obtinuerunt.

Quid enim (inquit Lutherus in libro cui titulus  
de Ecclesia & concilijs fecit) concilia tradiderunt,  
quod in Prophetis & Apostolicis Scriptis non magis  
perspicue & euidenter expressum sit: Concilium  
Nicenum de diuinitate æterna Christi contra Atrium,  
Constantinopolitanum de diuinitate Spiritus sancti  
contra Macedonium, Ephesinum de unitate personæ  
Christi contra Nestorium, Chalcedonense de duabus  
naturis in Christo distinctis contra Eutichen,  
Doctrinam Ecclesiæ asserunt. Quæ omnia non  
propter conciliorum authoritatem & decretum  
credimus, sed quod in scriptura sacra, perspicua,  
manifesta, aperta, euidentia, minimeq; dubia, ma-  
gno numero testimonia habeant, in quibus fides  
nostra firmata est, & tuto acquiescit, si maximè  
conciliorum Decreta nulla vnquam accessissent.

Necq; verò Pontificiorum curauit clamores  
Lutherus, quibus arrogantia notam ipsi inurere  
sunt conati: quòd se omnibus sanctis Patribus &  
concilijs præferret, & illorum iudicia, Decreta &  
scripta superbè contemneret. Quàm enim reue-  
renter de omnibus senserit scripserit, locutus sit,  
testantur non modò, qui hoc singulare organum

*Autoritas  
Concilio-  
rum non  
supra scri-  
pturam.*

*D. !Luthe-  
ri humili-  
tas contra  
clamores  
Papista-  
rum.*

C 2 Dei



Dei audiuerunt adhuc superstites, sed idem quoque scripta confirmant.

*Iudicium  
Lutheri de  
suis scri-  
ptis.*

*Prophetia  
Lutheri.*

*Satanæ as-  
tutia.*

Acne quis existimare posset, quòd extenuatione Patrum & conciliorum (quemadmodum iniquè Pontificij Reuerendum patrem, pectus humile, calumniati sunt) suis scriptis autoritatē et perpetuitatem aliquam quærere voluerit, præfatio, quam Tomis suis Germanicis præmisit, docet, Qua apertè testatur, & notum facit vniuersæ posteritati, non modò quàm ægrè in editionem Tomorum consenserit, sed etiam quanto spiritu optârît, omnia sua scripta, præter Bibliorum versionem germanicam, prorsus interrîsse. Siquidem ex decursu annorum, de quo Ecclesiastica historia testatur, facilè diuinare & conijcere possit, hoc potissimum Satanam ad perturbandas Ecclesias nostras post mortem ipsius moriturum, vt à simplicitate scripturæ sacræ, quæ sui ipsius sufficientissimus & optimus interpret est, ad humanas opiniones & interpretationes homines denuo abducantur. Quarum varietate intelligit astutissimus dæmon, se nullo negotio, homines committere posse. Idcirco eò facilius, cum admiratio personæ alicuius & donorum eius animos litigantium occupauerit, vt magis de humana authoritate ex occulto quodam & insito amore, eius honoris defendendi causa, quàm pro ipsa veritate pugnent.

De



De qua re cum aliâs copiosius à nobis dictum sit, quibus artibus nondum confirmata iudicia perturbata, & in quos errores perducta sint, prolixiore nunc commemoratione honestissimo coetui molesti esse nolumus. Modò eius perpetuò meminerint omnes, dissensionum causam hanc si non vnam, potissimam tamen fuisse, quam modò exposui. Ex quo etiam intelligi potest, quàm expedita sit ratio, ad piam, sanctam, firmam, Deo gratam, Reipub: & Ecclesiae salutarem concordiam instaurandam, si modò eorum vestigia studiosè secuti fuerimus, quorum nominis meritò grata nobis adhuc est recordatio.

Cum enim tot annorum memoria, firma consensio, in hac Inclyta & longè celeberrima Academia, permanserit, quàm diu scriptura sacra sui ipsius interpretes in Schola & Ecclesia fuit, nec patrum aut conciliorum authoritate pugnatum est: Quis non videt, si idem à nobis quoque studiosè diligenterque obseruatum fuerit, iam Ecclesijs & Scholis nostris piam pacem & tranquillitatem restitutam esse?

Et meritò nos huius rei infœlix studium Petri Lombardi admonere debebat, quem Magistrum sententiarum appellant, viri sanè non indocti, qui dignus erat, vt in seculū magis fœlix incideret. Is enim pulcherrimum ordinem in ex-

*Qua ratione denuo ad plura consensum perueniri possit.*

*Studium Petri Lombardi.*



plicatione præcipuorum capitum Doctrinæ  
Christianæ obseruauit & secutus est, vt hanc lau-  
dem nemo hæctenus illi ademerit. Sed dum con-  
trouersias per collectas sententias S. Patrum  
*Contro- uersia Re- ligionis per S. Pa- trum scri- pta ne de- cidantur.* & Decreta conciliorum explicare & dijudicare  
conatur, & seipsum & alios inuoluit, vt interdum  
lectorem incertiorum & magis dubium dimittat  
quàm prius fuerat. Nō enim possunt, vt maximè  
in eo quis elaboret, eorum sententiæ conciliari,  
quos inter se pugnare manifestum est.

*Optima ratio diju- dicandi controuer- sias.* Exactissima autem eaq̃ tutissima ratio dijudi-  
candi controuersias Religionis grauissimas hæc  
est, vt omni humana auctoritate seposita, ad fon-  
tes Israel recurramus, & fundamentum Doctri-  
næ & Fidei nostræ apertissima Scripturæ sacræ  
Testimonia quæramus. In qua si maximè in-  
terdum sententia aliqua paulò obscurior, sese offe-  
rat, quæ errori patrocinari videatur, occurrunt  
tamen & extant vicissim plures aliæ claræ, per-  
spiciuæ, manifestæ, quæ nulla explicatione indi-  
gent & obscuris lucem clarissimam afferunt.

Sic, sua cuiq̃ scriptori Ecclesiastico constat au-  
thoritas, honos, laus, dignitas, nec tamen fides  
Doctorum aut discipulorum illius vel alterius auto-  
ritate nititur, sed in scriptura ipsa fundata est, in  
qua sola mens errans acquiescere, & in certaminibus  
conscientiæ & in mortis agone consistere po-  
test.

Ex



Ex quo, vt opinor, intelligitis, qua conscientia & fide agant nonnulli, cum videant, suis malis artibus se nihil efficere posse, rumorem vanissimum non modo iuuentuti instillant, sed magnorum quoque & principum virorum animos attentare audent: In constituenda concordia Ecclesiarum nostrarum publica, quæ multis nunc annis magno studio quæsita est, aliud agi nihil, nisi Philippi Melanthonis scripta vniuersa ex scholis & Ecclesijs explodantur.

Calumnia  
de scriptis  
Philippi  
Melanthonis  
sparsa.

Atrox calumnia, sed cuius animum quæso hæc subiit cogitatio? aut quis adeo impius & ingratus est: vt negare audeat, Clarissimi huius viri opera, nos ad Græci & Latini sermonis expeditam cognitionem peruenisse, quam nobis grammatica in vtraque lingua eruditè conscripta monstrauit? Verum quoque vsum præceptorum Dialecticorum, vt explicationi Doctrinæ Ecclesiæ utiliter seruiant, quis magis planam compendio tradidit, quam à Melanthere factum est? Non minus laudandum laborem ad eundem finem in Rethoricis quoque præstitit, quem alij deinceps imitati, vt maximè plura tradiderint, hunc tamen ducem grato animo agnoscunt. Capita quoque doctrinæ Christianæ, quæ locos communes vocant, conscripsit ab ipso Luthe-  
ro commendatos, pro quibus laboribus, si nullus  
alius

Refutatio  
huius calumnie.



alius accessisset, Deo laus & ipsius nomini gratitudo debetur maxima.

Melanthon  
ad fontes  
lectores re-  
misit.

Sed nunquid in his nos subsistere, & ad fontes, ex quibus compendia artium & disciplinarum desumpsit, nos recurrere noluit? Nunquid sine ratione sibi assentiri omnes voluit? qui toties in scriptis suis inculcat, non sum ἀναμάχητος: Et scripta mea iudicio Ecclesiae & omnium recte iudicantium submitto.

Per Cor-  
pus Do-  
ctri-  
nae Me-  
lanthonis  
D. Lutheri  
scriptorum  
oppressio  
quaesita.  
In praefati-  
one Articulo-  
rum Tor-  
gensium  
Anno  
1574  
editorum.

Meminisse oportebat Calumniatores istos, qui fronte & conscientia carent, quod publicis scriptis superioribus proximis annis studiosae iuventuti innotuit, & impressis in hac vrbe libris propagatum est, quosdam ex professoribus Academiae huius, praetextu scriptorum Melanthonis D. Lutheri scripta ex manibus hominum excutere, & quantum in ipsis fuit, memoriam nominis tanti herois tollere voluisse, vt errorem de Testamento Christi recens in hanc laudatissimam Scholam inuectum, iuventutis animis, quibus possent fraudibus & dolis, instillarent. Quorum malicia & improbitas, mirabili ratione diuinitus cum detecta esset, coram Deo & hominibus ipsorumque propria, si quae est, conscientia confusi sunt.

Vtiliter laboribus tanti viri perfruemur & quidem grato animo, si idem iudicium de eo nostrum  
strum



strum, quod autoris de seipso, fuerit. Quod Di-  
uus Lutherus non modò de sanctorum patrum,  
sed etiam de suis ipsius proprijs scriptis pronun-  
ciat, non protinus hoc vel illud verum esse, quia  
Lutherus, Augustinus, vel alius quisquam scri-  
ptor Ecclesiasticus dixerit, aut scripserit, nisi aper-  
tis & sufficientibus scripturæ sacrae testimonijs,  
confirmauerit. Qua in parte, sine diminutione  
honoris & existimationis omnium, is obtinebit, à  
cuius partibus Prophetæ & Apostoli steterint.

Hac via, si ingressi fuissent, quorum infœli-  
ci opera harmonia & consensus Academiae hu-  
ius suauissimus, summo cum Ecclesiæ & Schola-  
rum in his alijsq; regionibus, detrimento, pertur-  
batus est, quantum offendiculum cauere, quanta  
mala præuenire potuissemus?

Cum autem frustra deplorentur, quæ mutari  
non possunt mala, Animos & oculos eò inten-  
damus, vt id gratum acceptumq; habeamus,  
quod Deus pater Domini nostri Iesu Christi,  
præter expectationem omnium, post tristem il-  
lam mutationem, benignè & paternè largitus est.

Neq; enim dubitare debemus, singulari Dei  
gratia & misericordia Inclyti Herois & Principis  
Illustrissimi Augusti Electoris Saxoniae &c. Spi-  
ritum excitatum, vt non modò huius Academiae  
pristinū statum renouet et instauret, quin potius,

D

pio

*Omniū  
Autorū  
scripta  
cum in di-  
cilio legen-  
da.*

*Studium  
Electoris  
Saxoniae  
Augusti etc.  
erga studia  
literarum  
et pietatis,  
in cōcordia.*



*publica &  
sancta in-  
stauranda.*

pio ipsius et sancto zelo omnibus Ecclesijs nostris sancta: & salutaris pax & concordia restitatur, modò cum sanctissimo Cels. ipsius conatu & preces nostras pias & voluntatem sanctam coniunxerimus.

*Vsus certaminum in Ecclesia.*

Satis enim litigatum est & pugnatum, & tempus est, vt vel tandem receptui canamus. Quamuis interim Ecclesia, contra voluntatem Satanæ, fructum aliquem eumq; non contemnendum ex certaminibus illis sæuioribus perceperit, dum vidit, post accuratum examen omnium errorum veritatē simplicem, in omnibus partibus suis, firmā & inconcussam subsistere. Qua consideratione, memoriam & recordationem malorum, quæ superioribus proximis annis vidimus, non parum lenire poterimus. Etsi enim distractio & offendicula naturā mala sunt, suum tamen semper in Ecclesia vsum habent, neq; à Deo permitterentur, nisi gloriæ ipsius & Ecclesiæ electorumq; salutis, vt alia omitam, seruire possint.

Qui enim odio tenentur sanæ doctrinæ, neq; vllis vel admonitionibus vel minis verbi Dei ad amorē veritatis flectuntur, his iusto Dei iudicio hæc offendicula obijciuntur, vt corda illorum induerentur & mendacio credant. Reliqui de Naturæ humanæ imbecillitate & Satanæ odio contra filium Dei & Ecclesiam admoniti, maiore studio ad  
amo-



amorem veritatis Doctrinae coelestis excitantur.

Cum verò commodior via & ratio non sit ad  
piam pacem & concordiam in scholis instauran-  
dam, conseruandam & propagandam, ad quam  
maximè Professores Theologos respicere decet,  
quàm si breuiter & expedite Libri Prophetici &  
Apostolici explicentur, & ad illorū librorum le-  
ctionē & intelligentiam iuuentus rectā deducatur:  
Inclytus Saxoniae Dux et Elector Augustus &c.  
Dominus noster clemētissimus, pro sua sapientia,  
amore, studio & pia solitudine erga suorum  
subditorum aliorumq; æternam salutem, remo-  
tis Doctoribus impuris, per quos Doctrina san-  
cta Ecclesiarum in his locis viciata fuit, Professo-  
res Theologos pios, synceros, eruditos, dida-  
cticos, pacificos, modestos Discipulis præfici  
voluit, quos non modò duces studiorum, verum  
etiam exempla pietatis, moderationis & reliqua-  
rum virtutum haberent.

Ordo quoq; & Methodus lectionum insti-  
tuetur, quæ non modò iuuentutis studijs accom-  
modatissima fuerit, sed per quam etiam multo-  
rum inopiæ consulatur, quibus sumptus necessa-  
rij defunt, quo minus pluribus annis in Acade-  
mia hæerere possint.

Alter enim ex Theologis Professoribus πρυ-  
ταρχον hoc est, quinq; libros Mose, Principis  
D 2 Prophe-

Electoꝝ Saxo-  
niæ Augu-  
stus Aca-  
demie Vite-  
bergensis  
cuiusmodi  
Professoꝝ  
Theologos  
præfecerit.

Ordo lecti-  
onum Theo-  
logica-  
rum.



Prophetarum, perpetua & ordinaria explicatio-  
ne enarrabit. Alter reliquorum Prophetarum,  
quos Maiores & minores vocant, explanatio-  
nem suscipiet. Quem deinceps sequetur, qui Epi-  
stolas Apostolicas, Pauli & reliquorum, inter-  
pretabitur. Quartus Professor locorum com-  
munium Philippi Melanthonis Theologico-  
rum lectionem obtinebit, quos D. Lutherus, vi-  
dit, approbavit, commendavit.

*Disputatio-  
nes Theolo-  
gicae.*

Hiscle lectionibus continuis ordinariae dispu-  
tationes accedent, ingenti cum detrimento & ia-  
ctura studiorum iuventutis multis annis inter-  
missae. Quibus omnibus modus statuetur, ne ris-  
xas pariant, sed studiosis sacrarum literarum,  
quemadmodum & lectiones vtiliter seruiant.

*Modus qui  
in inter-  
pretatione  
s. scripturae  
observabi-  
tur.*

Necq; enim pro arbitrio cuiquam publice pro-  
fiteri licebit, sed ad certam rationem adstricti erunt  
Professores omnes, quam in scripturae sacrae ex-  
plicatione maxime expeditam sequantur. Non  
Grammaticos agent, qui singulis vocibus expli-  
candis inhæreant. Hunc enim laborem Graecae  
& Hebraeae linguae Professores doctissimi, com-  
pendio praestabunt, ne sine grammaticae, hoc est,  
absq; vtriusq; Linguae graecae et hebraicae medio-  
cri cognitione ad lectionem studij Theologici  
auditores accedant. Necq; etiam in explicatione  
vnius sententiae, vniuersa Biblia percurrent,  
quemad-



quemadmodum de inepto quodam Professore Theologo perhibetur, qui annos quatuor, Initij Enāgelij Iohannis quatuor vocibus: In principio erat Verbum, impendisse dicitur.

Etsi .n. hæc docēdi ratio laudem aliquam ingenij & doctrinæ habere videtur, qua vno in loco alia quàm plurimæ sententiæ scripturæ sacræ coaceruatæ explicantur, Ea tamen iuuentuti minimè utilis est, quam in cursu studij Theologici vehementer impedit. Quamuis enim ad vnum locum, interdum infinita propemodum alia dicta referri possunt, quæ passim in Prophetis & Apostolicis scriptis continentur, Ratio tamen hæc docendi peruersa est. Singula enim suo loco explicanda sunt, quibus exponendis & enodandis, circumstantiæ plerumq; seruiunt, quas eius loci contextus demonstrat, quem explicandum suscepimus. Quæ cum nuda & quasi suo habitu spoliata, alio loco explicantur, sæpè in alienum sensum, cum periculo veritatis, detorquentur.

Dabunt ergo singuli Professores Theologi<sup>1.</sup> operam, vt cuiusq; capituli scripturæ breuissimum argumentum Discipulis tradant. Deinceps partium<sup>2.</sup> explanationem subiungent paraphrasticam breuem, quæ sententiam Prophetæ vel Apostoli aperte demonstrat. Postea usum ostendent,<sup>3.</sup> quibus partibus Doctrinæ Christianæ confir-

D 3 man

*Singula suo loco explicanda.*

*Methodus lectio-  
num  
Theologicarum.*



mandis, aut erroribus refutandis præsens locus  
seruiat, quem explicandum susceperunt. Nihil  
hîc vel de consensu vel discrepantia interpretum,  
cum quibus domi vel litigabunt, vel in illis con-  
ciliandis laborabunt, modò iuuentutis studia his  
non extrahantur, sed quam ex collatione scriptu-  
ræ & illustrium locorum iudicauerint sententi-  
am veram, & fidei per omnia analogam, hanc  
iuuentuti fideliter & succinctè tradent. Sic fiet, vt  
tribus lectionibus, aut quatuor ad summum, in-  
terdum etiam citius, integrum Caput Bibliorum,  
pia, sancta & sufficienti interpretatione, maximo  
cum fructu studiosæ iuuentutis absoluator. In  
hoc studio cum elaborauerint, qua par est dili-  
gentia, Professores Theologi omnes, quantos  
progressus intra Biennium aut Triennium sacra-  
rum literarum studiosus facere poterit?

Videbitur fortassis quibusdâ hæc docendi ratio  
puerilis, & minus ex dignitate eorû, qui cû appa-  
ratu, (vt loquuntur) profiteri mallent. Eam verò  
si quis attentauerit, quanto cum labore, quanta  
industria & ingenij dexteritate coniuncta sit, fa-  
cilè videbit. Cum apparatus, in professione no-  
stra, de quo loquuntur, non modò ostentationi  
ingenij, sed etiam ignauo quorundam ocio serui-  
at, qui ex commentarijs, quæ infinita extant, de-  
scribunt breuissimo tempore, quibus dictandis  
aliquot



aliquot horas, sine fructu auditorum, impendunt.

Quapropter non est, quod iuuentus ex commentarijs prolixis veterum, aut recentiorum prolixa dictata expectet, sed expeditam, planam, & perspicuam librorum sacrorum explicationem habitura est, quæ haud dubiè omnibus intelligentibus probabitur.

In disputationibus quoque Theologicis quæ singulis mensibus dabuntur, non inani sophisticationi indulgebatur, quæ disputandi ratio in studio sacrarum literarum non modò inutilis, verùm etiam pernitiōsa est iuuentuti, sed explicationi veritatis studebunt omnes, vbi nullius hominis, sed solius scripturæ sacræ authoritas valebit. Quapropter odiosa certamina de personis doctorum Ecclesiæ, veterum & Neotericorum, omnia præcidentur. Eorum verò sententiæ & argumenta proferentur, & quibus scripturæ Testimonijs confirmata sint, accuratè examinabitur. Sic suus cuique Doctori Ecclesiastico honos manebit inuiolatus, & iuuentus ad fontes Israel deducetur, vt intelligat, quid in singulis controuersijs verum aut falsum, sequendum aut fugiendum sit.

Et cum singulæ professiones sua exercitia habeant, solis Theologiæ studiosis, quorum causa potissimè

Ratio &  
modus dis-  
putationum Theo-  
logicarum.



potissimum disputationes proponuntur, opponere licebit, quos si Doctor, aut studiosus, cuiuscumque professionis fuerit, ad explicationem veritatis, armare voluerit, omnibus liberum erit. Quemadmodum eò etiam incumbunt Doctores Theologi omnes, ut cum veritatem laborare viderint, eam partem adiuvent, quæ cum testimonijs Propheticis & Apostolicis consentit, ne iuventus incertior quàm fuerat antea, dimittatur.

*Vsus disputationum  
publicarum.*

Ad eum modum, si disputationes instituantur placidæ, quis non videt, ex vna collatione sententiarum erudita, plus utilitatis & incrementi studiorum suorum percepturam iuventutem, quàm ex lectionibus quàm plurimis haurire potuissent? Occasione enim data, quod potissimum & vnicè in disputationibus Theologicis spectandum est, Disputationis præses, loca scripturæ obscura enodabit, cum ab aduersario vrgeatur, quod in ordinaria explicatione sæpè ommitteretur. Hæc ratio studij Theologici in Schola erit.

*Vsus concionum, & quomodo studiosis Sacrarum literarum seruiant.*

Conciones quoque publicæ ita instituentur, ut non tam rudi populo seruiant, quàm ut sacrarum literarum studiosi plurimorum scriptorum Prophetorum & Apostolicorum explicationem habeant, & simul rationem docendi obseruent, quam Doctores præceptores, in suis Methodicis concionibus, ad erudiendum rudem populum, sequuntur. His



His enim duobus maximè intentū esse oportet Sacrarum literarum studiosum, vt scripta Prophetica & Apostolica rectè intelligat, & suis auditoribus, quibus præficiendus est, methodo & utiliter, cū pro concione, tū in priuatis tentationibus, proponere possit, quorum prius lectiones, posterius conciones doctorum, & disputationes accuratæ docebunt. Plurimum verò prodesset, qui iam ad ministerium docendi in Ecclesia accessuri sunt, vt interdum ministris Ecclesie coniuncti, vel ægrotantium, vel capitis supplicio damnatorum tentationes cognoscerent. Hic enim vera Theologia discitur, quam Philosophicæ speculationes prorsus ignorant. Siquidem vniuersa Theologia practica est, eiusq; Professor ineptus, qui in hoc genere exercitatus non est. Theorica verò nulla est, vbi *νόημα*, præstantissima vis animæ, in obsequium Christi captiua ducenda est, & simplici opus est fide, cuius vis, quanta sit, non nisi in summis certaminibus conspicitur.

Conciones autem publicæ, à quibus, grauissimo consilio, nemo ex Professoribus Theologis in posterum liberabitur, ita instituentur, vt vna concio loco duarum lectionum scholasticarum esse possit. In qua non modo res sacræ explicabuntur, sed modus quoq; & Methodus obseruari potest

*Finis studij  
Theologici  
in scholis.*

*Praxis  
Theologiæ  
apud ægro-  
tantes et ca-  
ptiuos di-  
scitur.*

*Theologia  
practica.*

*Fidei vis in  
tentationi-  
bus conspi-  
citur.*

*Professo-  
res Theo-  
logi omnes  
concionato-  
res.*

E ri potest



*Dissimilis  
ratio doc-  
cendi in  
schola &  
Ecclesia.*

ri potest, qua rudi populo, summa fidei mysteria, populariter & vtiliter tradi debeant. Est enim longè dissimilima, in schola, & coram indocta plebe, docendi ratio, quam nisi quis accuratè obserauerit, In schola iuuentuti parum proderit, & coram populo ineptus concionator erit.

Distributio quoque concionum & materiarum ita adornabitur, vt studijs iuuentutis scholasticæ, quæ ad discendas & docendas sacras literas deputata est, consulatur. Etenim quæ diebus Dominicis habentur, Euangelistarum explicationem tradunt & Epistolarum, quæ in certas pericopas distributæ sūt. Ad quas quæ historiae de incarnatione filij Dei, de eiusdem passione, morte, resurrectione, ascensione in cœlum, & totius mundi administratione accedunt, diebus festis solentioribus destinatae sunt.

*Distributio  
cōcionum.*

Diebus profestis, singuli Professores, qui per vices in templo docebunt, vnus Psalterium, alter libros Regum & Chronicorum, Tertius Acta Apostolorum, Quartus prouerbia Salomonis vel alium librum vtilem noui aut veteris Testamenti interpretabitur.

In his omnibus audiendis & discendis, si mediocre saltem studium accesserit, quàm breui tempore accuratam & plenissimam cognitionem sacrarum literarum sibi comparare posset studiosus

fus



sus adolescens? Quid enim in scriptis Propheti-  
cis & Apostolicis relinquatur, quo non perducatur?  
Et vt maximè integrum pentateuchum,  
omnes Prophetas, omnes Euangelistas, omnes  
Epistolas Apostolicas, Psalterium vniuersum,  
Prouerbia, Regum omnium historias, & Apo-  
stolorum actus omnes explicari non audierit,  
eam tamen sibi facultatem parauit, vt sine viua  
voce Doctoris deinceps priuato studio sine omni  
offensa reliqua facile absoluere possit.

Sic neq; *autodidactus* erit, quod genus homi-  
num in Ecclesia valde perniciosum est, peculiari-  
bus opinionibus plerunq; addictū, quibus con-  
cordia sancta perturbatur, maximè verò si *autodidacta*  
cum ingenij acumine coniuncta fuerit, nec tamen  
omnia in scholis didicit, in quibus perdiscendis  
priuatum studium publicis congressibus quasi  
correctum & limatum accedere debet.

*Autodi-  
dacti in  
schola &  
Ecclesia  
perniciosi  
plerunq;.*

Quibus omnibus cum animus rectè instructus  
et in veritatis agnitione probè confirmatus fuerit,  
tum demum sine omni periculo, magno autem  
cum fructu in lectione scriptorum sanctorum  
Patrum & Conciliorum versabitur. Vt perpe-  
tuum Ecclesiae consensum, quis fuerit, cognoscat,  
& qua in parte interdum à veritate declinaue-  
rint, facile videre & iudicare possit.

Hæc sunt, concio ornatissima, quæ breui ora-

E 2 tione



tione exponere volui, vt non modò, quæ voluntas esset Incltyti Principis, Electoris Saxonix Augusti &c. Domini nostri clementissimi, vobis constaret, verùm etiam quid Theologiæ studiosis in sacrarum literarum & controuersiarum explicatione expectandum sit, plenissimè cognosceretis. Et spero orationem hanc qualemcunq; uullo verborum ornatu vestitam, sed veritatis testimonio confirmatam, omnibus bonis satisfacturam, qui cum studio veritatis, pacis & concordix pium amorem coniunxerunt. Confido etiam, eorum animos placatos, qui calumnia decepti, de instituto Electoris sanctissimo, & labore nostro prius longè aliter persuasi fuerunt. De omnibus verò mihi firmiter promitto, misso de personis omni infœlici certamine, singulos sedulò operam duros, vt non modò offendiculum datum, & hïc, & alijs in locis mitigetur, verùm etiam eò firmior magisq; constans pius & sanctus consensus, pro gloria Dei, & in confusionem omnium hostium veritatis conseruetur, quò magis malorum ingenia eò laborare & malis artibus contendere videmus, ne vulnera sanentur, sed subinde nouis certaminibus Ecclesia Dei perturbetur.

Ad quam rem cum ipse nihil aut parum conferre queam, preces meas cum vestris coniungam,



gam, & Deum veris gemitibus inuocabimus, vt ipse laboribus manuum nostrarum benedicat, animos Doctorum ac discipulorum, ad amorem veritatis & concordiae flectat, & malorum hominum conatus reprimat, vt veritas caelestis Doctrinae incorrupta & inuiolata, non modo apud nos conseruetur, verum etiam ad posteritatem pie transmittatur.

Offero etiam me omnibus, & singulis, infirmae quoque eruditionis hominibus & studiosis, si forte in aliqua parte doctrinae publicae nonnihil desideratum fuerit, ad collationem piam, moderatam, & aedificationi singulorum conscientiae seruientem, ne vel animum occulta affligat opinio aliqua & haesitatio, vel odiosa certamina excitentur. Qua in parte eandem fidem, moderationem & humanitatem vobis probabunt Theologi Professores omnes, vt in ipsis, mea quidem opinione & expectatione, nihil sitis desideraturi.

Sic veritate Doctrinae caelestis restituta, pace & concordia pia & sancta inter Doctores & discipulos recuperata, iuxta dulcissimam concionem Christi cum muliere Evangelica omnium dolorum obliuiscemur, quos infelicia superiorum annorum certamina & huic Academiae inclytae & quamplurimis alijs Ecclesijs pepererunt.

E 3 Frue



Fruemur autem cum gaudio & exultatione  
beneficio, vt insperato, ita summo & maximo,  
quo Deus ex alto nos paternè respexit, & conser-  
uaturum quoq; , si preces & studium pietatis &  
veritatis accesserint, benignè promisit. Quod fa-  
xit Deus æternus Pater Domini nostri  
Iesu Christi per Spiritum san-  
ctum, Amen.

EPIGRAMMA

EPILOGI VICE SCRIP-  
PTVM IN ORATIONEM

splendidissimam, quam Vitebergæ habuit Re-  
uerendus & clarissimus vir, Domi-  
nus D. Iacobus Andréæ, &c.

**E**Rgo liuor edax cessabit, & improba mentes  
Quæ dubias fecit, fama iacebit humi.  
Et VITEBERG A graui concussa dolore, vigorem  
Cœlitus immisso robore fulta trahet.  
Vincit enim tandem verum: falsum interit omne:  
Tristitiãq; solent gaudia magna sequi.  
Ecce parùm luctus memor, oblitusq; laborum,  
Cum Musis hilares ducit Apollo choros.  
Cultaq; Relligio lugubrem ponit amictum,  
Incipit & pura figere veste pedem.  
Hoc numeri effecere tui, IACOBE, diserti,  
Per quos his totus restituetur honos;



*Si tibi, quod petimus, producent stamina Parca,  
Nec frangent humeros pondera tanta tuos.  
Sed dubitemus adhuc? doctis dant numina vires:  
Quæq; gerunt sancti, vis ea tota DEI est.  
Gratia CHRISTE tibi, quod non concedis, ut almam  
Obscurent lucem nox tenebræq; tuam.  
Flectis & AVGVSTI mentem, quò sana professos  
Dogmata defendat, promoueatq; viros,  
Hoc animum AVGVSTI porrò rege lumine CHRISTE,  
Nec non IACOBVS sit tibi cura tuus,  
Ut tuus his nostris honor inclarescat in oris,  
ET redeat templis paxq; decusq; tuis.*

*ALIVD*  
DE AVGVSTO ILLVSTRIS-  
SIMO Saxonix Duce Electore: &c.

*S*Iqua DEO placuit, vel adhuc placitura potenti est  
AVGVSTI patria prouida cura patris:  
Illa placet, qua diuini est assertor honoris,  
Et procul hereticos pellit agitq; viros.  
Nam velut in specula positus circumspicit alta,  
Et pro lege DEI stat vigilatq; grege.  
Nec tot perfidia iaculis, fraudisue suorum  
Fractus hiat: sed enim perstat amatq; DEV M.  
O AVGVSTE potens, hac, quam tibi numina mentem  
Indulsere, tenax TEq; TV O Sq; regat.  
Hostibus hac TV terror eris: ducesq; triumphum  
Victor & ante homines, victor & ante DEV M.

*ALIVD*  
De eodem Illustrissimo Electore.  
*F*vlcra ruinosis velut adibus applicat hospes,  
Et docti rimas obstruit arte fabri:

*Sic*



*Sic AVGVSTVS opem Ludo laturus hianti,  
Huic excellentes sufficit arte viros.  
CHRISTE faue cæptis: agitur tua gloria, vires  
Daq; viris: agitur gloria CHRISTE tua.*

EPIGRAMMA

AD REVERENDVM ET  
CLARISSIMVM VIRVM, PIE-  
tate, doctrina, virtutibus, & dignitate excellentem, Dn.  
IACOBVM ANDREAE S. S. Theologiæ Docto-  
rem eximium, &c. Dominum & Præce-  
ptorē suum vnicè obseruandum.

**Q**uando fides hominum ex animis pietasq; recessit,  
Atq; Papa fuerant dogmata plena dolis:  
Ipse sui Deus assertor virtute LVTHERI  
Et tenebris traxit cum pietate fidem,  
Temporis hoc æuo, quò turba miserrima Calui  
In cælis Christi crura manusq; ligat:  
Quàm gaudet per te, ô rerum doctissime IACOB,  
Soluti, quò verbo possit adesse suo.  
Ergò magnanimo qua victrix palma Lut hero  
Et viuo, & tandem post pia fata data est:  
Hæc eadem dabitur tibi vir dignissime: Christi  
Causa est: non causam deseret ille suam.

Aliud de Academia Tubingensi.

**C**lara Tubingensis Vitebergæ Academia amica est,  
Huic nunquam viros denegat illa suos.  
Hæc etenim ex illa surgens primordia traxit,  
Iamq; labans rursus fortia fulcra capit.  
O flore eternum felix schola: nec tibi damnum  
Tela tot aduersæ partis acuta ferant.

Leonhardus Ezlerus Vratisla:



Umg. VI 67

[Dissertationes

miscell. Vol. 21.]

ULB Halle


3

002 402 475




A-20









B.I.G.

Farbkarte #13

